AD SERENISSIMVM PRINCIPEM FERDINANDUM Archiducem Auſtriæ, Moſcouitarum iuxta mare glaciale religio, à D. Ioanne Fabri ædita.

ΧΑΣΠΑΡΟΣ Ὁ ΧΟΥΡΡΑΡΙΟΣ.

Δεῦρο φίλε, πρὸς πίστιν ἔχεις ἀγάλματα θεῖα
βαρβάρων, ὅτι οὐ σῶν ἔλει εὐσέβεια.

NOn dubitabam futuros, ut sunt comparata hominum ingenia, qui simul atq; illa de Moscouitarū religione, pietate, moribus, atque potentia legerent, suspicaturi essent, ingenio me potius indulsisse, quàm qđ res ita, ut optima fide retulimus, haberet, præsertim cū sit multo maxima hominū pars, quæ uix sustineat quicquam sibi boni ea de gente persuaderi, qua hactenus religionis nomine uix alia peius audijt. Eam ob rem sero licet (supremam enim iam librarius manū imposuerat) nacti exemplar earū literarum, quæ à diuo Carolo rege Ro. principi Moscouitarū destinatæ essent, quarum superscriptione quoniã crederem nonnullos delectatū iri, uolui & hanc gratiã à lectore inire, ut tanq; appendicem annecterem, cum ut res per se obscura tanto nixa autore credatur promptius, tum ut et tandem agnoscamus pro Christianis, quorū mores, omnisq; uitæ tenor aliud nihil, quàm ueram pietatem spirat.

SERENISSIMO, & potentissimo principi domino BASILIO dei gratia Imperatori & dominatori uniuersorum Ruthenorū, & magno principi Volodomeriæ, Moscouiæ, Nouogardiæ, Plescouiæ, Smolenskiæ, Iferiæ, Lugariæ, Permiæ, Vuerthiketiæ, & Bologariæ, Nouogardiæ terræ inferioris Tzeringouiæ, Rozauiæ, Volotschiæ, Rheseiæ, Bolami, Beleskiæ, Roscouiæ, Iaresklauoriæ, Belozeriæ, Vdoriæ, Optoriæ, Cōdiuiæ, &c. fratri maiori, & amico nostro chariss.

CAROLVS ROMANORVM IMPERATOR.

SERENISSIMO PRINCIPI AC DOMINO, D. FERDInando, Hispaniarū Principi & Infanti, Archiduci Austriæ, Duci Burgundiæ &c. Sacratissimæ Cæsareæ maiestatis per Ro. imperiū locum tenenti, Principi suo clementiss. D. Ioannes Fabri salutem & pacem in CHRISTO domino nostro.

CVM humaniter salutasses, ac magnifice, pro regio in te animo excepisses, serenissime PRINCEPS, Oratores Moscouitarū, qui iam à sacratissima Cæsarea maiestate ex Hispanijs feliciter, cum & illic pleraq; magis etiam quàm uel par esse possit in eos magnificentiss. collata essent, læti ad te Tybingam redierant, statim, ut est excellentiss. tui ingenij consuetudo, cōmisisti, ut quàm primum, mecū sumptis aliquot insignibus, qui huiusmodi negocio pares essent, uiris tū eruditis, tum multarū rerū usu præditis, istiusmodi Moscouitarū, nobis Germaniæ uiris prius admodum incognitorū, percontarer: idq; tuo nomine, originem, ritus, mores, religionē, atque id genus alia, quod & ob hoc facile fieri poterat, quoniã interprete utebantur ipsi: qui cū & natus Mo-

ſcouita eſſet, præter ſuam uernaculam linguam, & Ger
manice & Latine mediocriter callebat. Ob id maxime
deſideraſti Princeps ſereniſs. procul dubio, ſi cui forte
mirum uideretur, quo certior factus, cum quibuſnam
olim diuus Cæſar Maximilianus auus tuus pro cōmu
ni Rep. fœdus iniſſet. Tum aliud eſt, quod forte huic
rei perquirendæ plus addidit deſiderij, ut cum olim in
conuentu uel doctorum hominum, ubi frequens eſſe
ſoles, uel principum, mentio quædam de exteris incide
rit, id quod uſu non poſſis, ſaltim monumentis admoni
tus, æque in lucē proferre queas, quicquid eſt ex uarijs
exterorū moribus. Qua re & ipſe facile motus, atque,
ut par erat, uotis tuis obtemperaui, acceſſimus ſimul,
primumq; quæ tui animi ſentētia eſſet expoſuimus: id
quod & illis ſumme placuerat, talis principis indolem
ac ingenium mirantibus. De quo & plurimū ſpei ſibi
polliceri poterāt, quod unus eſſes ex omnibus, ad quos
ipſi, longa quidem profectione, quæ iam biennium cō
pleuerat, ab Oriente facta in Occidentē, diuerterant ho
ſpitalitatis iure antiquiſſimo, qui gētis ſuæ uaria ample-
cteretur. Itaq; & ipſi talibus beneuoli facti, nihil omni-
no eorum obticebant quæ quærebamus, uerū omnia
cum fœnore reddebant. Idem & ego tibi facturus ſere
niſſime Princeps, quo ordine, quibúſue locis, uniuerſa
huiuſmodi hominum in publicum proferri poſſunt,
etiam maiora quàm illi retulerunt, nihil relinquens, fidi
interpretis munere functurus exponam. Primo itaque
omniū

omniū tum congruum, tum neceſſariū mihi uiſum, ut *Vt uocentur.*
quæ nominis appellatio huic gēti exiſtat hodie paſſim
uulgo, tum quæ priſca fuerit, referam, ubi & maximus
nobis labor incumbit. In conferendis nanque uel Græ
corum cum Latinis monumentis, uel uetuſtiſſimis illis
cum recentioribus, non mediocris exigitur ingenij iu-
dicium. Facile enim omnia cōmutari contingit, quem-
admodum in moribus fieri frequenter cernitur. Inue-
nio itaq; eos populos, quos cōmuni uocabulo nos Mo *Moſcouitæ.*
ſcouitas appellamus hodie, olim, teſte Plinio, Roxola- *Roxolani.*
nos eſſe dictos, quos tamen aliquantulum cōmutata li-
tera, tabula Europæ octaua Ptolemæus Roſolanos no
minat, quemadmodum & Strabo. Qui etiā multo iam
tempore Rutheni dicti fuere. Atque hi ſunt, qui quon- *Rutheni.*
dam aduerſus Mithridatis Antipatorum duces ſtrenue
dimicarunt, ueluti Strabo refert. Hodie uero, cuiuſmo-
di & antea memini, pro temporum uarietate, nihil plus
immutari cernimus, quàm regionum, prouinciarumq;
nomina. Quoniam urbs eſt illis regalis totius prouin- *Cur Moſcoui-*
ciæ Moſcouia dicta, unde & Moſcouitæ nomen acce *tæ dicti.*
perūt: uel ut alijs placet, ueluti Volaterano, à fluuio Mo
ſcouij utcunq; deriuaueris hoc modo, non admodū re-
tulerit, dummodo nominis ratio liquida fiat. His olim
præfuit Ioannes dux, cui Helena cōiunx erat de Palæo *Ioannes quon-*
logorum, hoc eſt, Conſtantinopolitanorū imperatorū *dam dux eorū*
genere nata. Vltra hos Roxolanos quidem Strabo ait *extitit, qui ex*
neminem habitare. Sunt itaque Rutheni ſiue Moſcoui- *Palæologorū*
genere Helenā
duxerat.

Situs Moscouitarum circumquaq; hostibus cinctorum.

tæ Orienti plus confines, propioresq; ac Borysthem, cõterminant ex uno latere Lituanis, dein Polonis, atque Tartaris ex alio latere. Qui quidem Tartari illis sæpe hostiles manus inferunt, crebras incursiones faciunt. A Cæsare item Caphensi, qui certe præsidio Tartarorũ potentissimus existit, & à Capham nomen ducit, iuxta mare in Taurico Chersoneso residens, innumera belli mala sustinent quasi omni momento. Versus itaque Septentrionem mari claudũtur glaciali, cuius littus cũ sit amplissimũ uniuersim ferè Moscouitarũ ducis existit. Atque hoc mare est, quod ueteres, lacum Croniũ, ob eius glaciem perpetuam ferè appellarũt. Cronium enim ἀπὸ τοῦ κρόνου Græce, Latine Saturno appellato, uenit: qui quoniam senex frigidus ac tardus extitit, pro huiusmodi astro à poëtis ponitur. Hinc quæcunq; frigida, tardaq; sunt, & huiusmodi, Cronia appellari consueuerunt: & hoc mare Cronium, quod immenso Septentrionis cõmuni frigore, & hac parte maximo, quãto longius à sole est, multis milibus passuum congelari soleat. Quapropter et Hecathæus, teste Plinio, Amalchium uocat, lingua Scytharũ, quod Latine quoq; interpretari potest congelatum. Sic in cõtrarium, eadem de causa, ab Ammonio historico, lacus qui prope Constantiam est, quem Solinus aliàs Pregantinum nominat, Acronius uocatur, quod nequaquã ex integro unquam congelatus memoretur. Verum ne longius ab instituto aberremus, Moscouitarũ certe ducis imperiũ adeò

De mari glaciali pleraque, quo etiam uersus septentrionem cingũtur.

adeò latis protenditur, longisq; agris, ut aliquot spatia Asiæ complectatur, aliquot etiam Europæ, eaq; minime parua. Moscouia autẽ urbs est, ut quod aliàs minime consequi possumus, hoc cõparatione quasi ob oculos cõmodiori modo ponamus, duplo maior quàm sit Colonia Agrippina, quemadmodum ipsi retulerunt, qui in profectione ista huiusmodi urbis, plus forsan q̃ reliquarum Germaniæ, explorandæ curam habuere. Huic tamen magnitudine nõ imparẽ habent, & aliam urbem Fladimeri, tum Blescouiam, & Nouigradiam, Smolne, & Otiferi, quas regijs, amplissimisq; ædificijs extructas dicebant, muris quoque bene munitis, illisq; tum ex quadratis, tũ decoctis lapidibus extructis. Quarum etiam Blescouia præter cæteras præmunita, muris tribus cingitur: Reliquæ uero, quas habent innumeras, non usque adeò celebres habentur. Quoniã ab his quas prædiximus, titulũ suũ ac inscriptionem Russiæ imperator accipit. Nam in præsentiarum quoties, uel per Oratorem, uel per epistolã sese Moscouitarũ imperator insinuat, hoc titulo uti cõsueuit. BASILIVS dei gratia imperator totius Russiæ, ac magnus dux Fladimeri, & Moscouiæ, Nouigradiæ, Blescouiæ, Smolne, & Otiferi. Atque certe ille est titulus, quo anno proximo elapso XXIIII. mense Augusto, dũ in inclyta Vienna tua, te ex magni Basilij nomine salutarẽt, sunt oratione suam exorsi. Habet is Princeps Moscouitarũ sub se principes multarũ prouinciarũ, eosq; præpotentes.

Vrbes celebres Moscouia.

Fladimeri. Blescouia. Nouigradia. Smolne. Otiferi.

Titulus imperatoris Moscouitarum.

Prouinciarũ principes.

Ex quibus non postremus est canus ille & barbatus, quem uelut Oratorem Ruthenorũ imperator misit, ut serenitatem tuam primo, ac post Cæsareã maiestatem in Hispanijs adiret. Qui & triginta milibus equitũ quoties belli necessitas exigit, Imperatori suo succurrere solet. Sunt & alij principes; quorum potentia non parua est. At illud singulare est, quod in ipsis summe commẽdari potest, ut nullus sit eorũ tam illustris, diues ac præpotẽs, quin accersitus à duce, perquàm humillimũ etiã præconem, statim aduolet, omnibus mandatis sui imperatoris, instar dei, obtẽperet, etiam in ijs caussis, quæ uel uitæ detrimentum, periculumq; exigere uidentur. Imò hæc maxima noxa, ac ignominia apud ipsos censetur, quum minus aliquis in cunctis duci suo pro uoluntate egerit. Econtra præclarissimam in uiro esse obedientiam. Idcirco intra paucos dies aliquando bis, aut ter centena millia, uel aliâs ingentem quandam multitudinem congregare potest, contra hostes suos, aut Tartaros, aut Cæsarem Caphensem, uel alios quosuis exercitum ducturus. adeò nulla est natio quæ imperatori suo magis obediat, nihil plus uiro dignũ aut gloriosius esse ducentes, quàm pro principe etiam mori. Sic enim recte se immortalitate donari existimant. Ideo etiam frequenter contra Tartaros, Turcas, & alios cum tam potenti equitũ exercitu, instar apum collecto, fortissimos triumphos agere solent. Et eo tempore, quo Cæsar Maximilianus cum ipsis fœdus inijt, cũ rege Polloniæ bellum

Quantum imperatori suo præsides prouinciarum obtemperent.

Quantas belli copias breui tẽpore educere queant.

Pro principe etiã mori ipsis egregium.

lum gesserunt. Qui ut indies bella gerunt, indies quoq; aptiores ad uim inferendam exercitu, tum ad propugnandum, tum ad conferendum manus, fieri solent. Nã cum olim, pro more Parthorũ, plus fugiẽdo quàm insequendo uictoriam nacti essent iactu iaculorum ex arcubus: nunc uero ad omnes belli insultus, uel inferendos uel patiendos aptiores facti, etiam æneis machinis, quas bombardas uocãt, utuntur, atque miræ magnitudinis acies instruunt, industria qua fieri solet. Et si summam cupis, aiunt pleriq; historici, quod Moscouitarũ gens, sit quæ nunq; sit experta pacis cõmoda, quæ nisi natura, situq; adeò munitissimã haberet terram, periculum sit, iam sæpissime eam expugnatã fuisse. Lingua uero eis est, qua sibi multũ cũ Bohemis, Croatis, & Sclauonibus conuenit, adeoq; uicina, ut Sclauo Moscouitã plene percipiat, nisi, quantum uisum est nonnullis, Moscouitis asperam magis ac duriorem esse phrasim. Sclauonum autem linguam à cõfusione, quæ in Babel tempore Nembrotis fortis illius in Genesi uenatoris facta est, nomen accepisse tradunt historici. Eam tamen rem satis mirari nõ possum, quod cum inter Dalmatiã quidem & Moscouiam, utraq; Pannonia sita sit, Vngaro tamen nihil minus quàm cum linguæ cognatione conueniat cum Moscouita. Quare coniectura est, olim has gentes per legiones diuisas esse, atque ex Dalmatia illuc migrasse: ob hoc quoque asserit Volateranus Ruthenorum linguam semidalmaticã esse. Vtcunq; tamen fue-

Belli industria

Lingua.

rit, hoc certũ esto, Bohemis, Croatis, Dalmatis, & Moscouitis lingua conuenire, id quod è tuis interpretibus, quos in aula tecum fouebas, quotquot eramus, deprehendimus. Nam cum & illi interpretes inter Croatos & Dalmatas nati essent, nullusq; unquam illorum uel Moscouitas accesserat, uel moratus cum eis fuerat, adhuc tamen tunc præsentes uerba illorum deprehẽdere poterant. Sunt etiam in Moscouia nemora miræ magnitudinis, in quibus uulpes nigri, et ursi albi uenãtur, ita monumẽtis prius admoniti, nunc uero demum interprete Oratorũ edocti. Nec mirũ fortassis, in caussa enim facile fuerit nimium illud Septentrionis frigus, quod semper mater est albedinis, uti philosophia constat. Viuunt autem in syluis pleriq; uenationibus ferarum admodum sedulo incumbentes. Habent & apes frequentissimas, à quibus mel & ceram cum copia colligunt, quæ tamẽ apud illos mediocris admodum sunt precij. Cum uero belli frequentia terram eorum incultam ac neglectam faciat, uitæ suæ necessaria nõ aliunde magis, quàm è pellibus quæritant, ad quas comparandas mercatores tum è nostris, tum è longinquioribus ueniunt regionibus, ea est illorum nobilitas: qui nanq; nobilissimi sunt apud nos, ab illis nobis comparamus: ueluti sunt, pelles Zobolini, Martyres, Hermelini, & his similes. Simplici uerborum fide, non longis ambagibus contrahunt, mercem pro merce. Quamuis enim aureorum & argenteorum numismatum ipsis & multus

Nemora.

Feræ coloribus cũ nostris dispares.

Apũ frequẽtia

Maxima merx pellium.

tus

tus usus sit, tamen pro frugibus, ac reliquis uitæ necessarijs pelles frequentissime commutant. Sunt etiam ex gentibus eius imperatoris, quæ uino & frumento neq; utuntur, neque habent, sed uti bestiæ bestijs uescuntur: id quod cum Tartaris commune habent, ignobile uulgus est, & omnino syluestre, Tartariæ uicinum, ad littus maris glacialis in syluis habitans. Alij uero aliarum urbiũ Moscouiæ, scilicet Nouigradiæ &c. ciues in esu piscium nobiscum magis ciuiliter cõmunicant: in decoquendo uero nõnihil à nobis discrepant, quantum ipse uidi. Et cuius ferè oblitus fuissem, Volateranus scribit, Ruthenos uti moneta non signata: illud tamen experiri uolens, ab ipsis certior factus, monetæ Vngariæ multum usum apud eos esse. At quod maximum est in uita, fidem Christianam sequuntur, quam à sancto Andrea apostolo, fratre Simonis Petri, primum eis prædicatam affirmant. Ea quoque quæ sub Constantino magno à CCCXVIII. episcopis, anno CCCXVIII. in Nicea urbe Bithyniæ primo Niceno concilio conclusa, ac à Basilio magno, & sancto Chrysostomo tradita et prædicata fuerunt, tam sancta, tam firma, tam syncera esse credunt, ut ab illis hactenus nunq; licuerit transuerso digito, ut aiunt, recedere cuiquam, sicuti neq; ab euangelio Christi. Ea quoque uel modestia est eorũ, ut quæ à sanctis patribus in suis concilijs semel sunt decisa, nunquam audeat quisquam suæ professionis in dubium denuo uocare. Constantiori itaq; animo quàm pleriq;

Pleriq; eorum cum bestijs cõmune habẽt in cibo.

Pleriq; ut nos, cibis uescuntur

Numismatis usus.

Fide Christum profitentur, ab Andrea apostolo primũ edocti.

Quàm modeste dein decreta patrũ suspicẽtur, ac sancta habeant.

noſtrum in hac prima fide perſeuerare ſolent,quam ab apoſtolo Andrea, ſuiſq; ſucceſſoribus, ſanctiſq; patribus didicerunt,atque ab ubere materno ſuxerunt. Nequaquam ſeſe in uarias ſcindi hæreſes patiuntur. Verū ſi qua uel fidei difficultas, uel ritus religionis inciderit, uniuerſa ad archiepiſcopū, ac reliquos epiſcopos, pro ipſorum tantum ſpiritu definienda refertur, neq; quicquam inconſtanti uulgo & inconcordi relinquitur. Sacerdotis enim labia cuſtodiunt legem dei, & lex ex ore eius requirenda erit. Habent aūt archiepiſcopū,qui in urbe Moſcouia,in eo loco ubi ſedem imperator habet, cathedram archiepiſcopalem obtinet. Sunt & epiſcopi quamplures,in Nouigradia unus,in qua & Iſidorus extitit,ſub Eugenio pontifice Rho.Cardinalis teſte Raphaēle. In Roſciuia alius, alius in Suſtali,alius in Otiſeri, alius in Smolne,alius in Reſann, Colmum,Volut, & Frotini præficiuntur epiſcopi: qui & ſuas habent diœceſes. Hi quidem omnes epiſcopi archiepiſcopum uelut ſupremum agnoſcūt. Archiepiſcopus autem ille, antequàm patriarcha Conſtantinopolitanus à Mahometica tyrannide ſuppreſſus eſſet,ſemper hunc patriarcham ut ſuperiorem recognouit.Huic tamen Rhomanum pontificem ueluti Petri ſucceſſorem præceſſiſſe, ſemper ac merito fatentur.Neque hodie eius rei immemor Ruthenorū imperator,adhuc pietatis eiuſmodi diligens cuſtos:quotannis enim Cōſtantinopolitano patriarchæ in hanc uſque horā,quo uiuere, & Aegyptiacæ ſer

Quomodo hæreſibus medeātur.

Ordines preſbyterorum.

Pietatis exemplū imperatoris in patriarcham Conſtantinopolitanum

cæ ſeruitutis finem æqua mente expectare poſſit, eleemoſynam mittere conſueuit. Satis nanq; impiū ſibi uideretur, eum deſeri, quem totidem eccleſijs præfuiſſe notum ſit, & à quo unico ferè totidē, tantarumq; prouinciarum religio olim dependerit. Cum uero in epiſcoporū nomina,ſedesq; inciderit mētio, authoritatem illorū planius ac rudius (ut aiunt) promulgare placuit: ubi uideo illos à noſtris in pleriſq; non multum differre:rem eñ ex ordine compertus ſum. Nam apud Moſcouitas ea lex eſt & ſanctio,ut presbyteros, & omnes quotquot clerici ſunt ſolos ordinent epiſcopi. Neque ulli presbytero unq; quenquam confirmare licet. Hoc enim muneris epiſcopo ſoli incumbere aſſerunt, ut poſteaquàm tinctus aqua adultus fiat, per impoſitionem manuū epiſcopi, & ſignaculum crucis adeptæ fidei teſtimonium reddat, firmeturq; per unctionem,quæ in fronte fieri ſolet. Iidem in cœna domini chriſma & oleum celebrant atque conficiunt, cuius dein uſus ſit in baptizando, cōfirmando, ungendo infirmos. Soli ſunt qui inſtituunt & deſtituunt presbyteros. Neque unq; licet laicis in ipſos animaduertere, recte ob oculos habentes Pauli doctrinam ad Timotheum, qua dicit: Accuſationē aduerſus presbyterum ne admiſeris, niſi ſub duobus aut tribus teſtibus. Ita nec ſe unq; imperator ipſe de pœnis clericorum ingerit, hoc epiſcopalis tantum animaduerſionis conſtanter affirmant & prædicant,ut eos arguat & caſtiget,quos ſibi ſubditos euāge=

Epiſcoporū authoritas & munus in adminiſtrandis ſacramentis.

Sacramētū ordinis.

Cōfirmationis.

Vnctionis.

In clerum animaduertunt ſoli epiſcopi.

1.Timoth.5.

licus ordo, ac in sortem domini uocatio fecerit. Habēt & episcopi suos uicarios & officiales, quemadmodum & nostri, qui iurisditionem in subditos exercent, & iustitiam in rebus ecclesiasticis administrant. Decimis, quemadmodum à deo decretum est, quoq; uiuunt episcopi: dominijs utuntur iure concessis, uillas ac castra possident. Reliqua uero sacerdotum turba aliquibus decimis, oblationibus, & alijs quamplurimis tam uiuorum quàm mortuorū alūtur. Pro ijs enim beneficia habent fundata, quorū patroni sunt tam spirituales q̄ laici. Seueriori tamen cura hic agitur quàm soleat interdum nobiscū, negligentius scilicet. Nemini enim facile aliquod munus ecclesiasticum commendatur, neque cōfertur beneficium, nisi prius huic ipsi satisfacere posse comprobetur: per eius rei tamen peritos, uelut episcopos aut uicarios. Sūt episcopis suæ familiæ, tū nobilibus, tum alijs constitutæ. Hi certe sunt episcopi, per quos statq; caditq; uniuersa Ruthenorū religio. Diuina sæpe quū cū imperatore cōueniunt peragere solent. Pro insignibus tanti huius muneris baculis utūtur, & mitris, perinde atq; nostri solent episcopi. Ea uero abstinētia est, quæ nunq̄ satis laudari poterit, insignis admodum & magna, tū archiepiscopi, tum reliquorum episcoporum, cibi atque potus, nec minor ferè quàm monachis eius regionis, quibus ipsa solet esse refertissima: qui quidem ea lege obstricti abstinentiæ, ut nunq̄ in perpetuum carnibus uesci liceat. Ne igitur tam facile

Facultates episcoporū ex decimis, uillis, castris alijsq; prædijs.

Sacerdotia uero pro reliquis fundata sunt.

Collatio beneficiorum.

Insignia episcoporum.

Ieiuniū frequēs clerus habet.

Monachi plures.

uesana

uesana nostræ Germaniæ cohors se solam deludi atque onerari ducat, quasi monstris monachis, plebs certe dei selecta est, passim per uniuersum quæ increbruit, quam quidem hodie mirari solent, nescio quibus persuasi, quasi nouā faciem: cum ferè nulla professio Christianorum sit antiquior, uel adhuc magis Euangelio accedens, quàm stulta hominum nostrorum opinio, ueneratur, magni æstimat gens efferata bello continuo, id quod nos abominationes dicimus. Non procul ab urbe Moscouia monasterium est amplissimum, in quo trecenti fratres perpetuo ferè sub regula magni Basilij degunt, in quo etiam sepulchrum sancti Sergij abbatis, quod ab exteris è longissimis etiam agris frequentatur: multis enim miraculis celebre factum est, Christianorum admiratione non parum dignis. E quibus uel unicum in medium prolatum sufficiet, omniū illustrissimū, quod paucos ante annos illic cōtigit, duobus cæcis quidē uisus donatus est. Cū enim abbas ille uiueret, tanta uitæ sanctitate extitit, ut facile sibi persuaserint, atq; credāt iam multa ipsum precibus suis apud deū posse efficere, atq; cōsequi mortalibus. Ideoq; monumētū eius crebro mira cū deuotione accedūt, honorātq;. Vniuersi uero tū monachi, tū uirgines Vestales, quotquot sunt in monasterijs, unicæ regulæ, uniq; habitui obnoxij, nigro scilicet, usq; adeò religiose uiuūt, ut nō mirētur solū, uerūetiā summo honore eos ꝓsequantur. Neq; ipsis tam uilis ratio uoti habetur, uelut hodie

Monasterium ꝓpe Moscouiā insigne miraculis sancti Sergij.

Voti constans obseruatio.

Voti constans obseruatio.

nobiscum: uerum cum quis ingressus fuerit monasteri um, nunquam in perpetuum quoquo modo, quá ue indulgentia ei licebit exire, aut reliquo uotum irritum facere. Vota uero tria sunt quæ exhibẽt, ceu nostri, Obedientiæ scilicet, paupertatis, & castitatis: Quæ si quis prætergressus, è monasterio qui prosilijt, deprehenditur, perpetuo carcere in pœnam tãti sceleris clauditur. Tanta est uotorum sanctitas, ut etiam quamuis multa apud Ruthenos archiepiscopi & episcoporum authoritas sit, in his tamen illis minime quicquam concessum est. Quod uouendum & reddendum domino utriusque testamenti scriptura edoceat, immo ipsa ueritas requirat.

Castitas

Castitatis itaque adeò ratio haberi solet, ut nunquam monachis uxores ducere, neque monialibus nubere liceat. Ita enĩ à Paulo & tota ecclesia prohibentur.

In ducendis uxoribus à sacerdotibus Moscouitarum mores, subinde eorum qui in matrimonio constituti sunt.

Is autem qui uirginẽ bonæ famæ duxit, in sacerdotem ordinatur, in monachum tamen nunquam recipitur. Episcopus autem uel sacerdos posteaquàm cælebs in sortem domini uocatus atque conscriptus fuerit, coniugio nõ copulatur, sed perpetuæ castitati adstringitur. Quod si quis concubinatus crimen admiserit (quod tamen apud Ruthenos uitium est rarissimum) acerrima pœna ab episcopo affligitur, suoq; beneficio priuatur. Cumq; uxor semel mortua fuerit, quam primo duxit, in perpetuum quoq; aliam in uxorem nũquam ducit. Non bigamum nanq;, at unius uxoris uirũ episcopum instituit Paulus. Et quod pietati colophonium addere uide

tur, deuotionisq; spiritũ augere: ut cum sacerdos diuina celebraturus est, in coniugio cõstitutus, maximè que in Missa celebranda obseruari solet, minime phas esse putant, præcedenti nocte cũ uxore dormire: periculum enim illic esse uerẽtur, si non cum peccato id fiat. Ideo quoq; pro pleniori reuerentia nocte sequenti ab uxoribus quoq; abstinent. Ea est in his quidem tanti corporis & sanguinis mysterij reuerentia, is cultus, hæc spiritus persuasio. Videant igitur nũc nostri quàm pol lutis manibus hoc sacrosanctum mysterium, pignus omnis redemptionis nostræ, tractare soleant. Moueret optarim uel unicum Dauidis exemplum: qui cum extremo iam ferè ieiunio laboraret, non tamen propositionis panes ab Abimelech obtinuisset, nisi ipse & serui eius ab heri & nudiustertius ab uxoribus aut alijs mũdi fuissent. Cur igitur non mũdiciei ille quoque studeret magis, qui uasa domini, imò ipsum dominũ administraturus est, & manibus cõtrectaturus? Est & aliud officium sacerdotum præcipuum, ut Euãgelium Christi populo annũcient, salutem scilicet & pacem: id quod fieri consueuit ubiq;, omnibus diebus dominicis, festis quoq; diuæ uirginis Mariæ, apostolorum item & quorundam confessorum, martyrúmque. Verbum autem domini pari deuotione & prædicatur & auditur. Magna quoque est illis reuerentia uirginis Mariæ, crebris quidem orationibus, ueluti Christi mater pro intercessione apud filium rogatur. Vere enim ea putatur, cum

Cõmune aliud, adeoq; præcipuũ sacerdotũ munus, annunciare euangelium Christi.

Theotoci ueneratio.

theotocos sit, quæ pro nobis in terris plurima possit à
filio cõsequi. Festa itaq; eius, Annunciationis, Purifica-
tionis, Natiuitatis, Assumptionis, & quotquot denique
inciderint, ieiunijs indictis, orationibus, missis tũ lectis
Missa. tum decantatis celebrare, pro communi ritu ecclesiæ so
lent Græcorum: quemadmodũ & toto anni spatio, ex-
cepto quadragesimali tẽpore, quando S. Gregorij mis-
sam theologi, celebrare consueuerunt. Est autem utra-
que missa ter prolixior quàm sit ea quæ apud Latinos
cõmunis habetur. Qualis autem sit missa S. Gregorij
papæ non omnino ignorat Serenitas tua, cui nõnunq;
interfuit in Hispanijs, ubi in quibusdam partibus pera-
gi compertum est, mihi tua aliquando referente solenni
tate. Deuotis quidem mentibus accedunt illam populi
audituri, tanq; participes futuri eius. Solet autem hoc
differre illorum missa à nostra, quod Moscouitæ in pa
ne fermẽtato, Græcorũ more, conficiunt: Calici item
tantum aquæ quantũ uini rubei miscent: quam aquam
& calidam esse uolunt, quod ex latere domini non sine
mysterio magno profluxerit sanguis & aqua, quam ca
lidam fuisse credere phas est: alioqui em̃ miraculũ uix
censeri posset. Hocq; sacramẽtum corporis & sangui-
nis à solo sacerdote cõsecratur, qui ueluti nostri ferè, sto
la alba indutus, tota mẽte ad deũ eleuata, id efficere co
natur mysteriũ, quod pro sufficienti pignore omnium
promissionum suarũ Christus in ultima cœna reliquit,
quemadmodũ uniuersus orbis fatetur. Epistolam item
& Euan

& Euangeliũ æque in missis habent. At lecto Euange-
lio nõ mox Nicenum illud symbolum, sed post angeli-
cum cantum, qui Sanctus appellatur, primũ fides Ni-
cena decantari solet, cumq; dominicæ orationi finis fa-
ctus fuerit, mox antiphona de uirgine Maria sequitur.
Cõsecratio itaq; æque ab ipsis uerbis fit à Christo pro-
batis, quibus & eam uim concessam credunt, ut prola-
tis ipsis à sacerdote, mox creatura creatori suo cedat, il-
ludq; quasi necessarium esse. Dum uero sic conficitur,
ecce panis iustæ magnitudinis ordaceus apponitur, in
cuius medio hostia est, cui crucifixi forma, perinde ut
apud nos, impressa cernitur, quam ui benedictionis in
corpus Christi conuersam sacerdos sibi sumit & man-
ducat, reliquum uero panis per frusta diuisum petenti-
bus distribuit: quem singuli, non ut corpus Christi, sed
ueluti benedictum aliquem, & quodammodo sanctũ
panem cũ summa deuotione suscipiunt. Solent itaq;
has missas celebrare de trinitate, de beata Virgine, deq;
alijs sanctis. Et quoniã illis ꝓcul dubio purgatorij opi
nio est, igitur assidue pro defunctis orant, missis subue-
niunt. In qua quidem re tanta illorum est religio, ut ple
riq; bina pro mortuis anniuersaria, ut uocant, agant.
Alterum qui fatalis quo mortuus est die agitur: alterũ
autem, quo ab ecclesia institutum, sancti illius, cuius no
men habuit propriũ, festũ celebratur. Ad hæc fiunt fre
quentes oblationes & eleemosynæ Christianorũ. Hoc
quicquid est rituũ, & potissimũ missarũ, omne quidem

ex institutione primæua ecclesiæ esse affirmant, uti tradunt etiam Chrysostomus, Basilius magnus, ac Gregorius theologus. Hæc igitur sint breuius dicta quàm uel par sit huic mysterio: nemo enim facile reperiri poterit Christianorum, qui humanis præconijs satis commendare poterit turbæ fidelium, adeò multum momēti, remissionis uitiorum ex hoc pendere merito credimus.

Iam uero ad reliqua salutis Christianæ sacramenta pedem conferemus. Eucharistiæ quidem sacramentum, quātum ipsis in usu est, populo administrari solet, tempore quo Christus ipse instituit, & dein sequuta ecclesia, pascali scilicet, alia tamen serie forsan q̄ Romana ecclesia faciat atque decreuerit. Baptismum pro sacramento primo, adeóque præcipuo ducunt, quapropter hoc si quisquam neglexerit, derisſeritque, mortis pœna affligitur. Baptizant itaque pueros in nomine patris & filij & spiritus sancti. Huic muneri fungendo, quæcunq; necessitas inciderit, nemo hominum sufficere putatur, nisi sacerdos extiterit. Prius uero quàm baptismus administretur orationes fiunt frequentes ac deuotæ à sacerdote, à parentibus, à patrinis, à proximis, ab amicis, et quicunque deniq; adsunt, quo deus optimus maximus sese è cœlo per plenitudinem gratiæ suæ puero per uniuersum uitæ suæ curriculum assistere dignetur. Quibus certe precibus ad deum fusis, in ecclesia, ad quod peragendum illic baptisterium ordinatum est: aut tempore brumali, molestiam frigoris fugientes, in loco secretiori

Sacramentum eucharistiæ.

Baptismus.

puer

puer baptizari solet. In cuius rei testimonium adhibentur patrini, pro more etiam nostro, quibus ex pollicitis incūbit, ut huius baptismi memores esse uelint, ut puerum olim, cum ætas patitur aut expostularit, in fide erudiri non negligant, ut deum pro tanta gratia laudent, ac orent, ut donum hoc diuinissimum fidei datum, indies augere dignetur. Prælectis itaque orationibus, atque etiam exorcismis, cum puer fortioribus naturæ uiribus apparet, ter totus immergit̄, alioquin aqua tingitur, raro tamen: conspersio enim minus sufficiens iudicatur. Oleo & chrismate interim quoque appositis fronti & scapulis. Sal uero quod à nostris adhibetur, & lutum ex saliua & puluere, non admodū receptum est Moscouitis: abrenunciationem uero trinam, fidei quoq; confessionem trinam in usu retinent. Hæc certe cuncta ab his qui apud Rosolanos prima fidei fundamenta iecerunt, quasi per manus tradita, illi perpetuo firma, syncera, incorrupta, seruarunt: neque Christiani hominis esse ducunt, instar arundinis uento agitatæ, facile cuiusquam persuasione ab his proturbari in futurum, neque si angelus de cœlo descenderit, ceræ instar torquendas dabunt mentes eorum ab hoc instituto.

Interrogati dein per nos quantum ipsi circūcisioni tribuerint, num & ipsi in usu haberēt. Procul quidem ab eis abesse responderunt, ut uel scintillam ueteris & aboliti Iudaismi obseruent, imò in detestationem illius, nec quisquam Iudæorū per uniuersum Ruthenorū impe-

rium admittetur, etiamsi multis millibus aureorũ hoc consequi præsumeret. Id tamen nõ negabãt, Tartaros sibi multum persuadere è præputio, eósq; omnes circũcidi pro labe abluenda ueteris Adæ, contagionis instar contracta: in hoc Mahomaticã legem sequutus, quam Mahomet instituit, ut statim quàm plurimos sibi compararet sequaces, cum pronos ac beneuolos ad eam suscipiendam faceret Iudæos. Quam rem sedulo affirmabant ab eis procul abesse, nihilq; quod nõ ex omni parte Euangelicæ ueritati, orthodoxæ fidei, huicq; quam tot seculis, intemeratam, impollutam, sanctam retinuerint, cõsonet redoleretq;, quod ab ubere ipso tenelli suxissent, admittere. Cui si quid contrarium inciderit, per hæreses sese intrudere cœperit, principio quidẽ obstãt, anteq; uelut cancer latius serpat, quàm eradicari possit, statim pontificali censura, quasi membrum putridum, resecant ac reijciunt: Christi professionem ac crucem eius nunquam se neglecturos constanter affirmantes, neque unquam idololatriæ obnoxios futuros. Esse tamen plerosque in syluis, longius à conuersatione hominum, qui facti sunt idololatræ.

Confirmationis sacramẽtũ. Cum uero iam adultus est puer, & perfectã ætatem cõsequutus, ita ut suæ fidei Christianæ testimonia reddere potest, ad episcopum ducitur, ut confirmationis huiusmodi fidei sacramẽtũ recipiat, quod & chrismate in fronte per signum crucis confertur. Administratio uero huiusmodi sacramenti nulli cõcessa nisi episcopis: quo

quo coniecturare licet, atque argumenti loco haberi, quandoquidem omnem religionem suam per manus traditam habent ab apostolis, impositionem illam manuum uel in confirmatione, uel in ordine sacro soli episcopo traditam esse, sicq; hactenus monumenta omnia tenuerunt, atque perpetua obseruatione custoditum est. De matrimonio si qua dicenda sunt: hoc certum esse affirmarunt, consanguinitatis, simul atque affinitatis multum curæ ac solicitudinis esse ipsis, neque unquam facile negligi, adeò quoque ut nec unquam in quarto gradu uel repertus sit, qui contraxerit, neque indultum, uerum perpetuò illicitũ. Hoc enim à sanctis patribus sancitum semel, nunquã irritum facere conantur. Et quod plus est, illud quicquid est cognationis quod in baptismate, & confirmatione contrahunt patrini, in uniuersum æque obseruare solent, atque ecclesiæ Romanæ decretis cautum est. Quod si in his decernendis cõcertatio oborta fuerit, lis omnis episcoporum arbitrio dirimitur, ita tamen, ut nequaquam indulgentia causam leniorem fecerint, quo nulla fraus fiat omnino constitutionibus. Adulterij abominatio fortassis maior illis quàm nobis existit. Illud enim summa execratione detestari & persequi solent. Lex est etiam firma, ut quandiu uir uixerit, simul alteri nubere uxor non possit, at hoc defuncto primùm etiam lege liberatur, alioquin indiuidua consuetudine uitæ cum marito *Matrimoniũ.*

cõmorandum est. Vnicũ etiam solamen omnium miseriarum & calamitatum quæ accidunt, tum felicitatis æque summa æstimatur proles, laborum patientiam parit: infeliciunt tolerantiam, spem meliorũ, famæ curam, uirtutis calcar, sudoris sedulitatem, & reliqua huiusmodi, quibus parentes posteris suis adcõmodare student. Sacri ordines quoque apud ipsos suis quibusdam obsecrationibus & cæremonijs sacerdotibus conferuntur. Neque illis clauium potestas tradita creditur, nisi ad imitationem Christi in aures illorum dicatur: Accipite spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis. Huiusmodi certe Euãgelij forma, à Christo nobis præscripta, omni huic qui ab episcopo uocatus, ordinatusq; in presbyterũ fuerit, authoritas tribuitur, qua uel à peccatis soluere, uel ijs ipsis obnoxios sinere potest. Sacerdotali enim hoc ministerio Moscouitæ ad pœnitentiam utuntur. Quisquis nanque ad prouectiorem ætatem, atq; eam uenerit, quæ ingenij sui uiribus uti potest, ac discernere inter bonum & malum, rectum & prauum, lepram & non lepram, per contritionem sese peccasse agnouerit, recte spiritus contribulati sacrificium reddens, mox ad pedes sacerdotis próci dit, & in aurẽ illi, ut qui sedem dei teneat, scelera omnia admissa sigillatim, quantum memoria recolligere potest, ex ordine cum planctu aut gemitu declarat: à quo postea beneficium absolutionis, tanquam Christi uicario, accipit. Huic rei conficiundæ quoque tempus habent con-

Clauium commendatio.

Pœnitentia. Confessio auricularis.

bent constitutum: quotannis enim paschæ festo pro ecclesiastica ordinatione facere coguntur: pleriq; tamen deuotiores ad celebriores festiuitates exomologesin auricularem facere non negligunt. Id si quis constituto tẽpore paschatis neglexerit, anathema esse solet omnibus, abominaturq;, ipséque ab omnium cõuersatione, adeóque ab ecclesiæ ingressu coërcetur. Confessus itaque quo digne particeps fieri possit tanti mysterij corporis & sanguinis domini, prius per aliquot dies corpus affligat oportet, & in seruitutem usq; redigat carnem suam, reliquosq; pœnitentiæ fructus dignos in testimonium afflictæ conscientiæ peragat. Proin ieiunium illud quadragesimale à Christo & apostolis nobis institutum prorsus affirmant, quo quidem tempore, quoniam omnium procreãtium Veneri commodissimum est, atq; pruritus acerbissimos animantium cunctorum non est quod plus prouocet, opus est summe, ut ueteris illius Adæ insultus perdomemus carnis abstinentia: quæ certe abstinẽtia, apud hos quidem septẽ hebdomadis summa diligentia perficitur, adeò ut hoc tempore in perpetuum nulli suorum hominum, carnibus, ouis, caseo, & butyro uesci liceat. Præter hoc etiam à decima die Nouembris ad festum usq; Natiuitatis saluatoris nostri Iesu Christi, ieiunant. habent et alias hebdomadas continuas, quibus ieiunant: ut in Iunio ad festum Petri & Pauli. Aliquot item hebdomadas in Augusto ad festum Assumptionis Mariæ, tum diem Ve-

Ieiunium.

neris per uniuerſum annum. quidam & Mercurij. Votum proin fecerant octo ex peregrinis illis, qui cum tua Serenitate fuerunt, ut ſingulis hebdomadis tres dies ab eſu carniū abſtinerent, Lunæ ſcilicet, Mercurij, & Veneris: id quod diuina gratia hactenus obſeruatum aiebat interpres. Tanta eſt aūt illis harum conſtitutionū obſeruantia, ut quocunq; ieiunio piaculum eſſet, aliquē carnibus uefci aut ouis. Narrabant interim quoq; ex ſuis inueniri, qui cum ieiunia perſoluunt, nihil quod unq; uiſum ſit uita fungi, neque piſces ipſos ederent. Inueniri & alios qui ieiunio ſtatutis diebus neque uinum, neque quicquam aliud potuum bibant. Qua re audita ita moti, ut mente, ἐνθουσιασμῷ correpti, deſtituti uideremur, quod admodū iniquam eſſe noſtrorū Chriſtianorum cum illis in rebus iſtis Chriſti religionem concernentibus cōparationem apparabat: nec magis unq; quicq; animis noſtris tenacius inhæſit, qđ nos qui nobis ipſis multum perſuademus de arbore fidei noſtræ, fructu quidem deteriores illis eſſe contingat. Oremus igitur ſedulo boni Chriſtiani, ut ſemel obdurationi huic Pharaonicæ cordium noſtrorum finem imponat ac gratiam retribuat, ut cum alijs quos aliâs ferinæ uitæ æſtimamus, cognoſcere liceat his fructibus bonæ arboris: ut eſt abſtinentia animas noſtras deo lucrari, deum propitium, immemoremq; ſcelerum noſtrorum fieri, quandoquidem Niniuitarū pœnitētiam ac ingemiſcentem, afflictumq; ſpiritum ſemel eſt oculis immenſæ miſericordiæ

ſericordiæ

ſericordiæ ſuæ cōtemplatus. Tuētur & alios pœnitentiæ gradus, quibus deum nobis reconciliari credūt. Ex quibus & potiſſimus eſt Oratio, in qua frequentanda non facile ſimiles reperiri cenſeo. Omni nanq; diluculo cūcti eorum, toto corpore in puluerem ipſum proſtrati, prolixas orationes, & quotidianas ad deū fundunt, et ferè abſq; omni temporis intercapedine rogant precibus. Quarum primum locum obtinet oratio dominica, dein cum archangelo Gabriele diua uirgo ſalutat. dicūt & fidei profeſſionem ſymbolo, quod apoſtolorū eſſe à ueteribus perſuaſi ſumus: & nullus eorū eſt, qui non ſingulis diebus litaniā perſoluat. Qui uero ditiores ſunt, è quorum facultatibus eſt magnos pro ijs ſumptus poſſe facere, Ruthenicis literis imbuti, libros orationum ſibi comparant, earum ſolum tum quæ ab eccleſia receptæ ſunt, cuiuſmodi apud Oratores uidimus. *Orationes.*

Imaginū uero nō tam leuis cura aut contemptus apud ipſos uiget, ueluti apud nos his factionibus huius ſeculi increbruit præter omnē pietatē: uerum ut monumēta, quo nec unq; immemores bñficiorū dei fieri contingat præ oculis habēt. Nā cū apud fratres diui Frãciſci cubiculū ingreſſus eſſem, quo præcipuus Oratorū dormire cōſueuerat, inueni illic pulchro ex ordine ad caput dormiētis poſita, imaginē diuæ uirginis mira honeſtate depictā, & inſtar eius, quā in Moſcouia eſſe aiebāt à S. Luca olim depictā: dein tabulā incarnatiōis dñi: aliā quæ oſtētabat, ut amice ſuſceptus eſt in ulnas Symeonis, aliā *Imagines ſanctorum.*

quæ profectionem in Aegyptũ,aliam quæ paſſionem, reſurrectionem, & triumphabundam aſcenſionem in cœlos teneret. Erat & alia tabella,in qua pucherrime depictæ fuerant tum mœrores,tum gaudia diuæ uirginis Mariæ. Poſtremo erat quæ apoſtolorũ figuras & nomina cõtinebat. Ad ſiniſtram autem menſa,qua poſitus erat liber iuſtæ magnitudinis, Ruthenicis literis, è quo dicebãt ducem quotidie orationes ſuas quaſi pen-

Aedes ſacræ. ſum ſoluere. Frequentes conueniunt in Eccleſijs,quas & ipſi magnis ſumptibus extruunt, Orationis domos ex Euangelio uocitãtes, quáſq; imaginibus uarijs Crucifixi,diuæ Virginis, Apoſtolorũ,& aliorum quorundã ornant, id quod licere ſibi ex moribus uetuſtiſſimorum Chriſtianorum prædicant. Neq; tam facile ipſos mouet, quod apud Græcos Cõſtantinopoli ante ſeptingentos annos extiterũt,qui imagines idololatris conuenire docuerunt, neq; phas eſſe,ut cum uere Chriſtianis reperiantur. Qui certe ſecunda dein Nicena ſynodo damnati fuerunt, quotquot pertinaci animo hanc ſententiam ſunt tutati. Neq; eſt ut uel unum aut alterum, qui his ut monumẽtis utitur, adorare, facile reperiri queas. Quoniam nemo eſt qui uel ignoret à lege prohibitum eſſe ne ueneremur lapides. Econtra etiam nullibi ſcripturæ locus eſt, quo non uti liceat ijs monumentis, qui uetet. Imò & in conuiuijs illi ob oculos ponere conſueuerunt monumenta huiuſmodi, ut in perpetuũ animo obuerſentur, quæ præſtitit nobis deus, utq; facilius recordentur

cordentur uniuerſæ uitæ noſtræ exempli,Chriſti. At quod è cæremonijs eſt,cõmunẽ habent nobiſcũ uſum, in ſacris candelarum: quoniã cera opulentiſſimi ſunt, frugibus uero terræ,& ijs omnibus, quæ ex ſubſtantia ſunt alicuius,uenerandum ducunt deum. quæ candelæ tunc potiſſimũ acceduntur,quando totius redemptionis noſtræ myſteriũ corporis & ſanguinis domini in miſſa à ſacerdote contrectatur. In organa uero illa Pipiniana,quæ tamẽ nobis primo è Græcia ſunt miſſa,nullos omnino ſumptus faciunt,neq; hactenus uſi. *Cæremoniæ.*

Elecmoſynæ. Neque illud quidẽ minori,quàm reliqua quæ egregie faciunt,loco habendum erit, quod plurimũ cõmendatos habẽt pauperes, quibus quiſq; pro ſua facultate, atq; quantum Euangelij pietas cõſulit,exponit eleemoſynas,ueſtit,potat,paſcit,hoſpites colligit, et reliqua agit huiuſmodi,quibus filios dei in uita prouehere poteſt,timens ne quo tam horrendi iudicij reus fiat, quod Chriſtus dicturus eſt in ualle Ioſaphat hœdis, poſtq; ſeparauerit ab ouibus: Diſcedite à me maledicti in ignẽ æternum, qui paratus eſt diabolo & angelis eius: Eſuriui enim,& non dediſtis mihi manducare: ſitiui,& nõ dediſtis mihi potum: hoſpes eram,& non collegiſtis me: nudus,& nõ operuiſtis me. Quandiu enim nõ feciſtis uni de minoribus iſtis,nec mihi feciſtis. Sicq; nõ parce, ſed libenter ac benigne largiẽdo ſementẽ faciunt pœnitentiæ,ieiunio,orationibusq;,ac reliquis quibus pœnitentiam cõſummari uidetur,ut & aliquãdo copioſe me

tant, noxæ scilicet obliteratione̅, & gratiæ suæ largitionem, sempiternæq; uitæ munus, ad quod oe̅s nos spirare ex cunctis uiribus cordis nostri co̅uenit unice. Co̅stituunt ad hæc peregrinationes ad præscripta quæda̅ ac sancta loca: qua̅ rem nunc lube̅s prætereo. Nam si cuncta refere̅da essent Serenitati tuæ, quæ ex illoru̅ religione essent, iusto quidem uolumine illud agendu̅ foret. Is quoq; qui morbo aliquo prægrauatus est, cuiusmodi in extremu̅ mortis periculu̅ ducere uidetur, no̅ solum auriculari confessione sua peccata enumerare solet: uerum ad hoc etiam, ut fidem suam testetur in Christum, qui hoc modo testame̅to reliquit se remissuru̅ noxam, sacramento eucharistiæ prouidetur. Extrema̅ item unctionem minime negligit. Tum pro ægrota̅te frequentes fiunt orationes, atq; litania res agitur. Sicq; tandem exacta exomologesi, pro rituq; co̅muni Christianoru̅ omnibus perpetratis, confessus ille à sacerdote absoluitur. Septem igitur numero sacramenta habent, uelut ea quæ sine omni fraude promissionu̅ suaru̅ eum qui pro Christiana pietate ipsis utitur, participem, ac co̅potem faciunt. neque tam facile se deludi talibus promissionibus suspicantur: sed constanti animo credunt ijs omnibus, quæ ab ecclesia docentur. Præcepta item dece̅ eadem authoritate tenent, qua Mosi primo tradita sunt, quasi nunq; intermoritura, certi per uerbu̅ eius, quod uenerit ut impleret lege̅, minime ut solueret. Indulgentias ab archiepiscopo & episcopis accipiunt, magis ta- *Indulgentiæ.*

men

men caste forsitan ab ipsis agitur in ea re, q̃ à nostris. Impijssimu̅ enim esse ducunt, ut quæ ipsi gratis acceperint sibi magnis sumptibus redimenda essent. Neq; fas est ulli episcopo dare potestate̅ uescendi carnibus.

Gymnasia habent, pauciora tamen, in quibus pueri nobiliu̅ bonis literis, maximeq; sacris instituuntur, lingua Ruthenica frequentiss. admodu̅ pauci sunt, qui peregrinis linguis opera̅ impenda̅t. Græcæ pleriq; incumbu̅t ob sanctoru̅ patru̅ Chrysostomi, Nazianzeni, Basilij, et reliquoru̅ monumenta, omniumq; eoru̅ gratia, quæ à Græcis deriuata ad eoru̅ mores uel religione̅ adco̅modari possunt. Hebræam omnino negligunt, nisi quod unica hæc uox Alleluia in missa frequentari solet. Matthæus, Marcus, Lucas, Ioannes, epistolæ Pauli, & reliquæ à nobis receptæ cum Apocalypsi, inter canonicas noui testame̅ti scripturas recensent. De canonicis uero ueteris testamenti ide̅ asserunt quod decreuit ecclesia catholica. Pontificem Ro. ut Christi uicarium & successorem Petri agnoscunt. Propterea S. Cleme̅tis, S. Leonis, et diui Gregorij festa apud Moscouitas celebrari co̅sueuerunt. Quod au̅t ab eo apostatæ ueluti ac schismatici damne̅tur, hoc uelint iudicio iusti iudicis dei co̅mittere, diceba̅t. Sæpiss. certe tentatu̅ est eos persuaderi quo ad Occidentale̅ ecclesia̅ redire̅t: quæ tame̅ fuerint quæ infelicius homini frustrata sint, forte plus profuerit obticere quàm co̅memora̅do uel scandalu̅ infirmioribus præbere, uel odiu̅ quorunda̅ in me contrahere. Bene tamen *Gymnasia.* *Libri aute̅tici.*

se sperare affirmabāt,ut quādo cū Cæsarea maiestate,ca pite omniū,simul atq; tua serenitate cōueniat,facile euē turū,ut is qui uera pax est, eis etiā cū summo pastore ut cōueniat effecturū. Dissentiūt à nobis in sacramēti cōse cratione aliquātulū, ac fractione panis. Spiritū sanctū à solo patre,nec à filio procedere perinde atq; Græci tuen tur. Quāq; uero sint apud Græcos pleriq; qui purgato riū negēt, & alij qui purgatoriū scripturis probare co nent. In hoc tamē se nō facile scissurā pati affirmāt,quin idipsum firmiter cū Romana ecclesia teneāt. Missas no stras animo promptissimo audiūt,neq; aliud magis cru ciari aiūt,quàm q; à quibusdā quasi alieni à fide uitent, quando omnia ferè nostra sacra cū studio obseruēt. Fe sta item quatuor solennia celebrāt: Natalis scilicet dñi, Paschæ, & Pentecostes, atq; diei quo mater domini à filio assumpta est in cœlū. Magno loco habent aposto los,precipuo tamen sanctū Nicolaum, quem celebrāt, honorant,atq; inuocant. Neque ipsis solū,uerū & Tar taris atq; Mahometanis plurimis est peculiare. Diem Palmarū ad imitationē ecclesiæ Ro. celebrant,palmas & oliuas,atque reliquas huiusmodi arbores benedicen tes: Hancq; benedictionem creaturarū,non solum ab ecclesia pie receptam,sed & sacris literis recte fundatam probant. Ex aqua enim quæ est in Numeris cap. quin to & decimonono aperte monstretur, quid execratio nes possint. Et è Paulo ad Timotheum, sanctificari creaturam per uerbum & orationem,notissimum est omnibus

Quibus dissentiant à nobis.

Inuocatio sanctorum.

omnibus. Apud ipsos deniq; per uerba incātari serpē tes,per uerba eijci dæmones, & liberari obsessos com mune sit. Per ieiunium enim & orationem expelli dæ monium, Christus post se scriptum reliquit. Signum crucis ac imaginem crucifixi, etiam contra hostes pu gnaturi,secum deferunt,inde triumphari desiderantes, unde & Christus. Sanctos uere pro nobis apud deum intercedere posse credunt,ac quod sedulo faciant spe rant, quorum etiam uota facilius exaudiri autumant. Quare & eos inuocant & uenerantur. Eos quoq; qui publice peccant,excōmunicatione persequūtur, quam eorum lingua obscha uocant,quam si quis incurrit,è cō muni omnium hominum consortio, & conuersatione ecclesiastica eijcitur. Vnicū est quod à nobis sanè pro bari nō potest, & à nostris institutis alienissimum,qd' pueris uix dum tres annos natis eucharistiæ sacramen tum præbent,quodq; in pane fermentato cōficiunt, & ex cocleari panem uino intritū pro corpore & sangui ne populo ministrant.

Hi sunt itaque mores Moscouitarū, hæc religio, illa pietas,Serenissime princeps,quæ in uniuersum inclyta tua in rebus diuinis procurandis sedulitas ignorare o mnino noluit,ideoq; iussu tuo hæc certe illorum homi num perquisita sunt, qui quod Turcis ac Tartaris un diq; circūndati,ad mare glaciale lōgissime à nobis sunt siti,igitur hactenus aliquot secula parum cōmertij cum imperio nostro,adeoq; Christianis habuerunt,nihil ta

men minus quàm sacrosanctã illam fidem in Christũ, quam primitus à patribus eorũ plantari in eis contigit, temeraria, impia, pollutaq; inscitia labefactari permiserunt: uerum adhuc integram, synceram, deuotamq; conseruant. Quo fit, ut Serenitas tua satis mirari non poterit, qui fiat, ut qui cõtinuo bello ferociẽtes, pacem nunq; consequuti, adeò constanti animo suam tueantur uetustam religionem. Germanos autem totos à Christo alienatos iam aliquandiu extitisse. Quis nam dæmon, aut quæ erinnys eos fascinarit, satis augurari non possum, qui eos nescio in quam furiam atque tyrannidem conuertit, quam nõ solum absq; ratione in eos exercuerũt, qui Christi testimonio æternã patriam, imò quod plus est, libere interpellandi munus sunt consequuti, pro ijs qui in terris laborant cum periculo, & iactura animæ suæ. At quod omnium maxime, ut semel dicam, Germanis indignum, qui semper Christianissimi sunt æstimati, merito uideri potest, quod pugnantia potius cum religione deligere cœperint. Vbi enim illorum uitæ ratio perspicua est, illic nostri mortem magis amplectuntur: ubi hi Euangeliũ dei, illi certe iram hominũ plantarunt: ubi hi ieiunijs dediti sunt, illi certe crapulæ: ubicunq; hi uitam duram agunt, illi quidem mollem: & quod hi coniugio ad castitatem, nostri certe Germani minus recte ad libidinem uti cœperunt: quodq; certissimum esse potest, ut his sacramenta peccatorum molem auferunt, ita nostris, proh dolor, accumulationem qui con-

cõtemnunt. Et quod ad remp. pertinet, hi aristocratian amplectuntur, nostri uero democratia, oligarchiaq; omnia magis misceri uolunt. Merito igitur tu atq; uniuersi principes Germaniæ indignari possunt, hucq; deuentum esse dolere, quod pro genuina hactenus pietate sui sint amplexi omnem impietatem, & in deos, & in parentes, maioresq;, & in patriam. Obliti enim ueteris probitatis, suam ipsorũ patriam, tum animas hostibus prodere solent. Interim tamen bene sperandũ censeo: statim enim sua mole corruet iniquitas. Cæterum hilari fronte, sereno uultu hæc mea, minora etiã quàm uel æqua esse possint Serenitati tuæ, nũc accipias rogo, boniq; cõsulas, breui quidem daturus, forsan quæ plus iuuarint animũ tuum, de Sophi magni regis Persarũ tum moribus, tum legibus, tum pietate, cuius orator in comitijs Nürnbergensibus olim tuam conuenit Serenitatẽ.

Bene uale, & me tibi deuinctum atque commendatum, ut soles, in perpetuum habere uelis oro. Data Tybingæ XVIII. Septembris, anni M. D. XXV.

BASILEAE APVD IOANNEM BEBELIVM, MENSE IANVARIO, AN. M. D. XXVI.